DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis tertiâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXVIII.

M. JOANNE-FRANCISCO-ACHILLE DE LALOUETTE, Equite, è Regiâ Societate Medicâ Parisiensi pro Epidemiis institutâ, Doctore Medico, Præside.

An pertinaci & inveteratæ uteri hæmorrhagiæ, vinum Anti-scorbuticum?

I.



SIMUL atque tenerum puellarum corpus eò usque increvit, ut partes omnes explicatæ suas quæque proportiones, suum decus habeant, jàm viro maturæ vulgò creduntur. Ex naturæ tamen sapienti constantique lege, uterus virgineus fieri nequit fœcundus, nisi prius per determinatum mensis lunaris tempus, sensim sine sensu accumulato sanguine, turgeat. Quod ubi primum puellæ obtingit, tunc conceptioni idonea evadit. Ut autèm mulieri jam *menstruatæ* constet sanitas, sanguinem, præter puerperio & lactationi dicatum tempus, in utero redundantem, singulo lunari mense, foràs amandari necessum est. Hæc altera naturæ lex. Menstruæ evacuationis quantitas varia admodùm, citrà ullam individui noxam, pro vario temperamento, variâ regione, ac præsertim pro vario vivendi more, quod *sex rerum non naturalium* usu continetur. Observatione tamèn constat, lunaris profluvii quantitatem, in constitutione sanâ, non suprà libram unam ascendere, nec infrà semi libram subsistere, & excretionem frequentiùs intrà trium aut octo dierum spatium contrahi. Huic menstruæ, legitimæ ac periodicæ evacuationi *mensium* nomen affinxêrunt. An si fluxus, suprà indicatam quantitatem, atque temporis mensuram excedat, menses erunt dicendi? minimè: ne nominis similitudo in funestum errorem malè cautos inducat, dùm eos à Medicinâ tùnc temporis faciendâ deterret. Immoderatus igitur ille fluxus hæmorrhagia uterina meliùs dicetur, cujus species duplex, prior quæ à fibræ rigiditate cum uteri tumore conjuncta; posterior quæ à fibrâ debili atque remissiori pendet. Ambæ à se invicèm, toto cœlo, differunt ratione naturæ, effectuum seu symptomatum, ratione adhibendorum medicaminum; licèt medicastros videre sit eas in ægrorum perniciem, promiscuè habentes. De posteriori in præsentias agetur, atque nostram qualemcumque sententiam huicce trademus Disputationi.

II.

SI bis vel ter in menſe, ſanguis ſincerus ex utero profluat, tùnc uterinam adeſſe hæmorrhagiam pronuntiamus. Hic quidèm ſtatus, forsàn, ſtrictèloquendo, non morboſus dicendus; at certè hinc prima mali labes, ad morbum certò certiùs ducens niſi maturè occurratu. Huic hæmorrhagiæ obnoxiæ vivunt Virgines, fœminæ juniores, temperamenti ſanguinei, antè pubertatem, narium hæmorragias pati ſolitæ, quæ floridum atque in ſpecie ex omni parte ſanam habent conſtitutionem, quæ ſunt alacres, agilis atque ſenſilis admodùm indolis, in quibus ſanguis tenuior, ad diſſolutionem vergens; humores acriores, organa ad actum fortiùs ſtimulantes.

Hujus hæmorragiæ cauſam plethoræ vulgò tribuunt: at non magis in culpâ eſt plethora, quam dùm in juvenili ætate narium hæmorragiæ, aut hæmophtyſes ſuperveniunt. Per legitimæ menſtruationis ſpeciem decipiuntur: ſcilicet, ter in menſe femina experitur ſolita futuræ ex utero profuſionis ſymptomata, ſeu naturæ pondus excutere geſtientis molimina; ter in menſe ſuccedit evacuatio, quam ſequitur euphoriæ ſenſus. Verùm quàm deceptiva falſæ imaginis umbra! quàm perfidum levamen! lapſu temporis, reſolutis omninò per tot evacuationes vaſis, uteroj m impari allabentem continuò ſanguinem retinere jugi ſtillicidio fit ſine ullo impetu, ſine ullo ſenſu, evacuatio. Perindè ferè omninò eſt, ſi feminæ unâ vice quidèm & ſtatâ periodo, ſed majori copiâ quàm ad ſolvendam plethoram neceſſum eſt, aut ultrà conſtitutum à naturâ tempus, v. g. per XV dies, lunare profluvium experiantur. In utroque caſu non incuſanda plethora, ſed vaſorum connata laxitas & debilitas, quibus onus eſt vix ferendum, ſanguis vel modicâ quantitate congeſtus; incuſanda ſimùl indivulſa laxitatis vaſorum comes, ſanguinis craſis tenuior, atque acrior, vaſa ad excretionem ſtimulans. Conſpirant etiàm ad hæmorragiam producendam cauſæ externæ, alimenta in irritamentum gulæ acrioribus condimentis parata, potulenta ſpirituoſa, vigiliæ, totius maſſæ ſanguinis per motus corporis commotiones fortiores, ac præcipuè vehementiora animi pathemata: nàm rarò in brutis hæmorragiæ obſervantur.

III

MODERATA ſanguinis excretio nedùm debilitet, è contrà corpus anteà plethorâ gravatum leviùs reddit, mentemque torpeſcentem priùs languidamve ad alacritatem excitat. At ex immoderato & pertinaci fluxu, quot ſuboriuntur mala! morbo incipiente, mulier conceptioni minùs apta cenſenda: ſi conceperit, ſine causâ, aut ex leviſſimâ causâ, abortit: ſi non abortierit, parturientem enormes manent hæmorrhagiæ: nova dein in dies ſoboleſcunt mala, aliis producendis fœcundiſſima, dùm vires morbi creſcunt eundo. Ea videre eſt quæ cachexiam incipientem comitari ſolent, & ſcorbutum commonſtrant: ſcilicèt dùm mulieres ſuccos alibiles ſimùl cum ſanguine jugi fluxu fundant, vires omnes dejiciuntur, languent humorum circuitus, ſecretio, excretio; excernenda retinentur, humorum ſtaſes corruptiones fiunt; augentur acrimoniæ; vultum, qui pauló antè nitidam ſpirabat juventutem. pallor deturpat luridus, corpus priùs agiliſſimum torpor opprimit inſolitus; motui cuicumque repugnant, de ſpontaneâ conqueruntur laſſitudine; eis è ſomno evigilantibus, ſenſus omnium artuum & muſculorum quaſi fatigatorum & contuſorum; partium genitalium externarum intumeſcentiam, moleſtiſſimum pruritum atque eroſionem accuſant; marceſcunt atque contabeſcunt partes omnes ſuperiores, dùm extremitates

inferiores, accedente tumore, accrescunt; stantibus, pedes & crura intumescunt, vix à decubitu detumescunt, quod scorbutico œdemamti proprium.

Malum ultrà progrediatur cave, nondùm sanguis in immedicabilem abiit dissolutionem, ad heroicum citò confuge remedium, vinum scilicet anti-scorbuticum, quod recensita mala simùl cum sejunctis causis, eradicare potens sit, acre leniendo, laxum ac debile firmando.

I V.

VINUM antiscorbuticum, ex Cod. Paris. paratum, turget principiis activis quæ suppeditant plantæ è cruciferarum familiâ desumptæ: scilicèt, instructæ sunt, docente scrutinio chymico, principio fixiori gummeo-resinoso-oleoso, & principio salino oleoso, quod volatile, oculos atque nares feriens. Memoratum sal acre substantiis gummeis & oleosis intimiùs mixtum, & contemperatum, non alkalinæ, ut credebatur olìm, sed acidæ indolis est, vi antisepticâ præditæ; quod invicta probant argumenta celeberrimi Cartheuseri, qui tàm felici solertiâ Pharmacorum principia evolvit, atque vires indè deducendas tantâ sagacitate, assignavit, ut nemo meliùs; præter plantarum antiscorbuticarum principia, quibus dives vinum nostrum, sal etiàm ammoniacale solutum fovet, atque extractiva fumariæ ptincipia eminenti amaritie donata. Tàm heroicorum Pharmacorum activa principia dùm, vi suâ stimulante, languentes anteà vires vitales erigunt, humorum per vasa lentam circumductionem promovent, secretionum atque excretionum opus ferè abolitum expediunt; dùm vi suâ solvente, crassam & inertem mucositatem attenuant, dùm, virtute antisepticâ quâ eminenter pollet vinum antiscorbuticum, oppositam humorum degenerescentiam atque putredinem emendant, non sine jucundo animi sensu, miratur Medicus sensim imminui, ac tandèm desinere omninò pertinacem atque inveteratam uteri hæmorrhagiam.

Sed qualiscumque sit modus agendi vini antiscorbutici, sufficit Medico illud dati morbi optimum prostare remedium, multiplici experimento comprobatum. (1) Non illius exhibitio empyrica ideò dicenda, cùm in hocce negotio symbolum suam, nec eam minimam conferat Medicina rationalis. Dogmatum ejus, prævià luce tutissimâ, discernit Medicus hæmorrhagiæ speciem cui conducit vinum antiscorbuticum, quonam morbi tempore sit exhibendum, quânam dosi, nùm alia

---

(1) Sequentes observationes mihi contulit colendiss. Patruelis M. MORISOT DES LANDES, Doct. Med. Paris.

Mulier temperamenti sanguinei, quatuor infantum felix mater, circà ætatis suæ annum 27um, bis in mense, justò largiorem uteri fluxum experiebatur, & singulâ vice, per dies 10 integros: dein intrà mensium XV spatium, tres passa abortus, sub quibus immensam profudit cruoris copiam, undè debilitas summa, cum omnibus ex debilitate oriundis malis, sequebatur. Ex vini autèm antiscorbutici, per tres menses haustu convaluit, ac duos posteà fœtus, debito tempore, edidit.

Duæ aliæ mulieres eandem laudati vini senserunt efficaciam. Prior, 30 annos nata, ejusdem temperamenti, & antè pubertatem narium hæmorrhagiis obnoxia, sub ærumnis & defatigationibus, incidit in insignem uteri hæmorragiam, singulo mense recurrentem. Pluriès iteratæ venæ sectiones & cuncta, quæ ad sistendum sanguinis profluvium celebrantur remedia, incassùm per duos annos fuerant adhibita, jàmque hydropis incipientis suberant indicia, ob dejectas omninò vires vitales.

Altera 31 annos nata, postquàm per septem menses siluerant catamenia, enormi ex utero hæmorrhagiâ correpta est: ex quo tempore non omninò tamèn statis periodis, sanguis pleno flumine prorumpebat, & per interjecta spatia, ex genitalibus fluor manabat non albi, sed subfusci coloris, & olidissimus. Nihil juvit, præter vinum antiscorbuticum; cumque metus erat, ne suborta jàm febris in hecticam degeneraret, serum lactis, ac dein lac asininum curam feliciter absolverunt.

intermiſcenda remedia , nùm ſubindè vino interponenda quies, ut detur aliis remediis locus ; uno verbo, ex doctrinâ ind.. a ionum & contra-indicationum , egregii medicamenti uſum ſic moderari novit , ut nunquàm noceat , & ſemper proſit.

V.

MIRUM fortè videbitur , nullum hùc-uſque cognitum remedium , quod tantâ polleat efficaciâ , ut Medicus pro ſuo arbitrio , ſanguinis fluxum ſi deficiat , reſtituere poſſit ; nec ullum pariter certius dari medicamentum , quod ſine majori detrimento, ſanguinis hæmorrhagiam expeditè compeſcere potens ſit. In uſum vocantur *adſtringentia*. Verùm debilia hæmorragiam non ſiſtunt ; ſi fortiora , urgente indicatione , uſurpentur , ex eorum uſu protactiori ſuccedunt viſcerum obſtructiones , imò quandoque febris hectica , funeſtâ cataſtrophe finienda. Aliundè hæc remedia intactam humorum dyſcraſiam relinquunt. Sed & alia incidit quæſtio , an hæmorragiæ ſiſtendæ certum inferant auxilium aquæ minerales , acidulæ ſcilicet & principio martiali impregnatæ ? Suppeditant quidèm ſanguini vehiculum aquoſum , per quod acres ſales elui queunt , & per ſudoris , & alvi vias exire de corpore. Verùm requiritur virium vitalium robur in ægris , ut moveri per vaſa poſſint hæc ingeſta ; cæteroquin in ſanguine remanent , & hydropicos producunt tumores. Remedium aliud proponere pergunt , ſerum nempè lactis , aut lac aſinium. Equidèm ea remedia antiquiſſimi Medicinæ antiſtites *Hyppocrates* , *Galenus* , *Aretæus* , *Celſus* in ſuis Scriptis ad varias chronicas , maximè ab acrimoniâ oriundas , miris extulerunt encomiis. Verùm an talia feret debilitatus ventriculi , ſicut aliorum organorum tonus ? Abſit tamèn ut eorum efficaciam parvi faciamus ; naſcenti morbo forsàn ſufficere valent , vel ſola propinata , vel ſimul remixta. Imò in morbo inveterato & pertinaci , poſtquàm ex vini antiſcorbutici uſu , jàm renaſcentes vires vitales cernere eſt , ſi laudata remedia adhibeantur, corpus firmando ac reficiendo morbum non rediturum certiùs ſpondent. Hinc nil vetat quin concludamus :

Ergò *pertinaci & inveteratæ uteri hæmorrhagiæ* , *vinum antiſcorbuticum.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius-Antonius CAILLE, *è Societate Medicâ Edimburgenſi , è Regiâ Societate Medicâ Pariſienſi pro Epidemiis inſtitutâ.*

M. Philippus-Alexander BACHER.

M. Claudius-Andræs GOUBELLY , *Chirurgiæ Latino idiomate Profeſſor.*

M. Antonius-Laurentius DE JUSSIEU , *Eques , Regi à Conſiliis & Secretis, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, è Regiâ Societate Medicâ Pariſienſi pro Epidemiis inſtitutâ.*

M. Joannes-Jacobus NOLLAN.

M. Benjaminus-Michaël SOLIER DE LA ROMILLAIS , *Anatomes & Artis obſtetriciæ in gratiam Matronarum Profeſſor.*

M. Hyacinthus Theodorus BARON , *antiquus Facultatis Decanus , necnon Caſtrorum Regis & exercituum in Germaniâ & in Italiâ proto-Medicus.*

M. Ludovicus-Maria POUSSE, *Eques & Cenſor Regius.*

M. Antonius CASAMAJOR , *Cenſor Regius.*

Proponebat Pariſiis JOANNES-BAPTISTA-CLAUDIUS JEANNET DES LONGROIS , Saluberrimæ Facultatis Pariſienſis Baccalaureus Medicus, necnon Theſeos Auctor. A. R. S. H. 1778. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU , Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi , 1778.